

R V S S I A aut potius M O S C O V I A.

DE huius regionis incolarum religione, ritu, vivendi que more, hæc pauca. In religione ferè Græcorum ritum sequuntur. Eorum Sacerdotes vxores ducunt. Imagines in tēpſa colunt. Infantes cum baptizantur, ter in aquam totum immerguntur, aqua verò baptismatis singulis infantibus consecratur. Confessionem quamvis ex constitutione habeant, vulgus tamen eam Principum opus esse, & ad nobiles pertinere existimat. Finita confessione, penitentiæque iuxta delicti qualitatem iniuncta, signo crucis frontem pectusque signant, magnoque gemitu clamant, Iesu Christe fili Dei, miserere nostri. Hæc est communis illorū oratio. Dominicam enim orationem perpauci sciunt. Communicant sub vtraque specie, miscentes panem vino, seu corpus sanguine. Pueris septem annorum porrigunt Sacramentum: dicuntque tum hominem peccare. Festos dies viti præstantiores peractis sacris, epulis, ebrietate, & vestitu eleganti venerantur, vulgus & serui plerumque laborant, dicentes, feriari, & à labore abstinere, dominorum esse. Purgatorium non credant: pro defunctis tamen sacra faciunt. Aqua benedicta nemo se aspergit, nisi à Sacerdote aspergatur. Ieiunant in Quadragesima septem perpetuas septimanas. Matrimonia contrahunt, Bigamum concedunt, sed vix legitimū matrimonium esse putant. Diuortia admittunt. Adulterium non appellant, nisi quis alterius vxorem habuerit. Mulierum conditio miserrima est: nullam enim honestam credunt, nisi domi conclusa viuat, adeoque custodiatur, vt nusquam prodeat. Gens astuta & fallax, & quæ magis seruitute quàm libertate gaudet. Omnes se Principis seruos fatentur. Tunicas oblongas, sine plicis, manicis strictioribus, Hungarorum ferè more gestant: ocreas ferè rubreas, cæque breuiiores, vt quæ genua non attingant, soleasque ferreis clauiculis munitas habent. Ventrem nequaquam, sed femora cingunt, atque adeò pubetenus, quò magis promineat venter, cingulum dimittunt. Iustitiam strenuè exercent in prædones. Furta & homicidia raro capitali poena puniuntur. Monetam argenteam habent, non rotunda, sed oblonga & ovali quodammodo forma. Pellibus nobilibus ac pretiosissimis, quæ hinc per totam Europam exportantur, regio abundat: & vbi que ferè siluosa est.